

1766 4 23
DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA
DE
P R O X E N E T I S

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
IN PERANTIQA HIERANA
P R A E S I D E
DN. HIERONYMO FRIDERICO
SCHORCH, ICTO

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCI-
PIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO REGIMINIS, MEMORATAE
FACVLTATIS ADSESSORE, ET DECRETALIVM PROFESSORE P. ORD.
CIVITATIS ERFORDIENSIS CONSVLE PRIMARIO, NEC
NON ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVN-
TINAE SCIENTIARVM VTILIVM
PRAESIDE,

H. L. Q. C.

DIE XXVIII. IAN. A. R. S. MDCCLXVI.
PRO GRADV DOCTORIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBICIET
AVCTOR
HENRICVS GVILIELMVS EXS

ACCISAE GENERALIS INSPECTOR ET
IVRIS PRACTICVS LIPS.

LITERIS HENR. RVD. NONNII, ACAD. TYP.

VIRO PERILLIS STRI FACIENDI STRAMIA

P. KONZILIO AMPLISSIMO

CHRISTIANUS GOTTLIEB

DR. THEOLOGICUS SCHNITZLER

PROFESSOR THEOLOGICUS

UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

THEOLOGICAE FACULTATIS

ORDINARIUS

THEOLOGICAE

PRO GRADU DOCTORIS

THEOLOGICAE FACULTATIS

UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

1773



VIRO PERILLVSTRI EXCELLENTISSIMO
CONSULTISSIMO AMPLISSIMO

D. CHRISTIAN. GOTTHELF
GVTSCHMID

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE RE-
GIMINIS VICE - CANCELLARIO,
CONSILIARIO ASSISTENTIA-
RVM INTIMO CIVITATIS
LIPSIENSIS CONSULTI
ET SCABINO

PATRONO SVMMA PIETATE
COLENDO

IMPETU...
23

ON...
24

ON...
25

ON...
26

ON...
27

ON...
28

ON...
29

ON...
30

ON...
31

ON...
32





Non quod præsentem hunc libellum TVO
vel fastigio vel ingenio dignum putarem,
sed quod nullam non occasionem pietatis de-
clarandæ cupide arripiendam iudicarem, TVO
nomini hanc Dissertationem inscribere ausus
sum. Tanta enim sunt a TE cum in omnes ci-
ues profecta curæ ac industriæ documenta, tum
in me parentemque meum studii ac beneuolen-
tiæ indicia, vt nisi ea vel omnium spem vel men-
tis meæ cogitationem longe superare statuam,
parum idoneus rerum æstimator sim. Itaque
hoc præ me ferendum, TIBIque non significan-
dum solum, sed etiam palam declarandum arbi-
tror, eorum, quæ post reuocatam terris nostris
pacem omnes TIBI debent, sensu admiratione
que animum meum ita esse percussum, vt ad in-
gentem virtutis TVAE venerationem rapiar.
Quare gaude TVO tam excellenti bono, & Prin-
cipis

cipis Optimi, amicorumque eius gratia & fauore perfruere, sed ex ista luce aulae tamen ad clientes, qui rerum suarum praesidium TIBI commississe laetantur, pro insigni TVA humanitate respice, curasque TVAS, suscepto nouo munere, quod TIBI faustum felixque sit precor, auctas in posterum ad reipublicae dignitatem salutemque referre perge. Me vero, ex multis qui de TE pendent vnum, quem olim TIBI propemodum ignotum fauoris TVI promissione confirmasti, nunc etiam qualicumque huius libelli suffragatione adiuncta, TIBI commendatum habe


VIR PERILLVSTRIS EXCELLENTISSIME

CONSULTISSIME AMPLISSIME

NOMINI TVO

ADDICTISSIMVM

HENR, GVILIELM. EXS.



§. I.


PROOEMIUM.



Quod unicuique, scripto quodam edito, publicæ
lucis experimentum facienti propositum esse
debet, ut quæstionem suis viribus parem, le-
ctu autem prouectioribus quidem non iniu-
cundam, rudioribus non inutilem eligendo,
laudem quæsisse videatur, idem memet confi-
lium hoc tempore secutum fuisse, eorum, qui de nostris re-
bus

A

bus



bus iudicaturi sunt, aequitati facile me adprobaturum esse confido. Cum enim meum studium potissimum causis in foro agendis dicare constituissem, & nuper admodum singulari Patronorum Fautorumque suffragatione a Serenissimo Principe inter eos, qui Accisæ Generalis rationibus Lipsiæ præfunt, locum impetrassem, faciendum putavi, ut in indagando quodam, quod Academico libello persequerer, argumento, in quas regiones, siue ratione, siue fortuna delatus essem, inter easdem memet continerem. Constitui autem de *Proxenetis* agere, quod, etsi hoc genus hominum notissimum sit, me tamen quadam non vulgaria de iis tradere posse sperarem. Sed cautius est, nihil de se promittere, quam magnifice promissa turpiter neglexisse videri: tantum dicam, nos, si minus omnes difficultates, quas & hæc quaestio sibi additas habet, detraxerimus, tamen id acturos esse, ut, quod vel primum ac præcipuum scribentis officium est, causam ipsam pro ingenii modo clare & perspicue explicatam demus. Quidquid est huius laboris adleuabit lectorum humanitas, si, quod vehementer rogamus, eosdem se nobis iterum præbuerint, quales alio tempore experti sumus, & si quid erratum intellexerint, id ætati nostræ nouitatique studiorum condonare voluerint.

§. II.

DE SIGNIFICATIONE, VARIIS NOMINIBVS,
ET DIVISIONE PROXENETAE.

Ordine autem ut agamus, vocis *Proxenetæ* significatio

NOS

nos in praesentia occupatos tenebit. Primam enim hanc curam ex more antiquo esse conuenit ei, qui de aliqua re tradere conatur, vt, cum omnis rerum scientia ab nominum verborumque intelligentia ducatur, veram vocum notionem explicare studeat. Est autem vox origine graeca, lingua Graecorum enim *προξενίης* adpellatur is, qui hominum inter se voluntates & studia conciliat, aut, vt cum Iureconsultis loquamur, qui in causis actibus & negotiis licitis ac honestis, ad conciliandum vel componendum inter se pacificentes ac contrahentes, siue proposito pramio siue gratis, voluntatem partium aliaque explorando, & difficultates remouendo, ministerio operaque sua adiuuat. Ducitur a *προξενῆν*, quod denotat *auctorem esse, conciliatoris opera fungi*, vt sciunt qui Graeca non ignorant. Quos igitur homines *proxenetas* intelligere debeamus, declarat *l. 2. 3. D. de proxeneticis*, vbi Iurisconsultus eorum officium *operulam* adpellat, scribens: *Operula ista defuncti sunt*. Auctoritatem quidem huic voci ex graeco in latinitatem, vt alia plures, vocata conciliat MARTIALIS: 10, 3.

*Quem sulphurato nolit emta ramento
Vatiniorem proxeneta tractorum.*

Præter hoc alia nomina loquendi consuetudo iisdem tribuit, quæ ex instituti ratione a nobis commemoranda sunt. Adpellantur *philanthropi*, cuius vocis notatio in promptu est, quod ament homines, & vt in amorem societatemque coniungantur, procurent. Nec non *pararii*: de quo videri po-

est CUIACIVS Obseru. XI. 18. SENECA de benef. lib. II. c. 23. & lib. III. c. 15. *intercessores* apud SENECAM Epist. 119. pr. *interpretes* l. 3. 7. de *proxeneticis* CUIACIVS Paratitl. de proxen. vt & Obseru. d. I. *mediatores* Nou. 90. c. 8. Nou. 123. c. 2. §. 1. can. 8. *si quis Episcopus caus. 1. Quæst. 1. c. 2. extrauagant. commun. de Simon.* porro *mercurii communes* dicuntur, vt docet PRVCKMANNVS Consil. 50. & *ministros medios* vocat Nou. 134. c. 10. pr. l. 15. §. 2. *ad municipal. l. 1. §. incidit 13. ad S Crum Turpil.* Idem homines noto passim nomine *sensales* adpellantur, potissimum quidem ii, qui pecuniariis in causis mercatorum inter se contractibus pactisque fidem suam interponunt, quos nostrates *Wechselagenten*, & *Mackler* vocant, *sensalem* autem inclinatæ et pæne cadentis latinitatis scetum esse si dicamus, eorum, qui purioris litteraturæ periti sunt, neminem nobis aduersarium fore arbitramur. Italiam id nomen habere matrem, extra controuersiam est. Illic enim *sensale*, *sensalare*, *far' il sensale*, idem valet, quod latinis; *proxeneta* esse: ne enon *sensaria*, & *sensaleria*, munus interpretis & sequestris denotat. Vsum huius nominis apud Latinos ex Synodico Nicofiensis c. 29. confirmat CANGIVS in Gloss. med. & inf. lat. h. v. verba istius loci sunt: *similiter a mediatoribus quos sensales adpellant, ne tractarent aut promouerent contractum predictorum.* Gallis dicuntur *courtiers*, quibus omnino significantur homines, qui se negotiatoribus, eorumque causis interponunt, qui vocis vsus in Lexx. notatur. Alias nuncupantur *entre-metteurs interpositores*, quorum ope aliquid transigitur, perficitur, & contrahitur, *qui s' entre-mettent*

rent, pour faire reussir quelque affaire. Anglis adpellatur *A Broker*, *proxeneta*. Inter synonyma reperire datur, *curiales*, *curaterios*, *curritores*, nec non *curfatores* vt apud CANGIVM videre licet h. v. vbi ex Libertat. Barcinona ann. 1283. ista profert: *quod aliquis non possit repetere aliquam rem ab illo, qui emerit eam per curforem publicum & publice, nisi restituerit pretium.* In alio capite *corredores* & *curritores* dici, idem demonstrat c. v. quibus cum consentit latina illa interpretatio, qua *proxeneta* siue *conciliator* & *intermedius* huiusmodi dicitur esse *præcurrens* quidam homo & *anteambulo*, qui quodcumque negotium præcurrat apud BECKMANN de Orig. L. L. *Curaterii* autem a procuratione adpellantur, quod procurent negotia. Sed ille ipse locus, quem ex CANGIO laudauimus, vbi *curforis publici* mentio erat, admonet nos, vt de diuisione eorum inter *proxenetas publicos* & *priuatos* dicamus. *Publicos* adpellamus, qui principis aut magistratus auctoritate iureiurando interposito vel adsciti, vel confirmati, si forte priuatim electi fuissent, adeoque publica auctoritate præditi munus suum exercent. *Priuati* sunt, qui sine certa forma & lege sua sponte huic se ministerio offerunt, nec publica auctoritate, sed libera singulorum inter se contrahentium electione voluntateque nituntur. In quo non audiendus est TITIVS in Iur. priuato lib. 10. c. 6. §. 1. qui *publicos proxenetas* eos dicit esse, *quibus consensu eorum, penes quos ea res est, hoc munus demandatur.* Et in sequenti §. 2. *constituuntur*, addit, *publici proxeneta intuitu commerciorum, ac ius eos constituendi regulariter penes mercatorum collegium esse videtur.*

Nam firmiori niti fundamento meam arbitror sententiam, in qua & LEYSERVS versatur *medit. ad Pand. Spec. 681. med. s.* hos esse proxenetas priuatos. Si quis credat publicos esse, quod communem omnibus, qui ipsorum fidei res suas committat, operam præstet, is cogitet, principis aut magistratus auctoritatem iis deesse, qua sine *publicorum* nomen gerere nequeunt. Pro huius discriminis ratione, variat etiam germanica adpellatio. Priuatis hisce, siue priuata auctoritate munus exercentibus, competit nomen *Vnterhandler*, illi autem publici propria voce *Mäckler* dicuntur.

§. III.

QVIS PROXENETA ESSE POSSIT?

Ac omnino quidem ab hoc officio, cum sit e genere permissorum & licitorum, arceri nemo potest, cui & voluntas & idonea adfit ad id obeundum facultas, nisi quis vel natura vel lege prohibeatur: ad quæ duo referuntur impedimenta omnia, quæ obflare huic rei credantur. Natura reuocantur, qui non habent consensum, infantes, mente capti, cæci, de quibus quin huic negotio impares sint, nulla dubitatio est. Lege excipiuntur, alii ob dignitatem, sicuti nobiles *l. 3. C. de commerc. Palatini l. f. C. de rescind. vendit. Præsides prouinciæ l. 33. π. de reb. cred.* alii propter militiam, ne aliis negotiis sese immiscens miles parum se strenuum in laboribus bellicis suscipiendis & perferendis præstare videatur.

Quo

Quo respicit D. PAVLVS 2. ad Timoth. ii. 4. adde l. 31. C. de locato & conducto l. vii. C. negotiator. ne milit. Qui quidem omnes conditionem suam vitæque genus, vix videntur fati tueri, officio proxenatarum sustinendo, & philanthropo, vno ex vilissimis quasticulis, accipiendo. Possunt tamen esse proxenetæ, conciliatores & mediatores in causis nuptiarum & affessoræ l. 3. D. de proxenetis, cum nihil his fordidum aut vilis operæ admixtum sit. In reliquis vero causis, si certus aliquis proxenatarum numerus in aliqua ciuitate constitutus sit, vt in iis, qui celebriori mercatura florent, alii omnes ab hoc negotio excluduntur vid. STRACCHA de proxenet P. 2. n. 9. In his tamen & ipsis tempora locaque nonnihil mutarunt. Cum enim in quibusdam terris natura sua situque amplæ mercaturæ faciendæ aptis, vt in Belgio, etiam nobiles mercaturam exercent, cumque mercatores, vt paullo post demonstrabimus, optimi nonnunquam proxenetæ euadant, facile adparuerit, superiora illa non omni exceptione carere. Nisi tamen intelligimus, vix fieri posse, vt amplioris istius mercaturæ dignitas ad proxenatarum officii vilitatem desciscat. Eadem de causa nec femina excluduntur cum & his mercaturam facere sit integrum l. 32. §. 4. D. de aur. & arg. leg. l. 7. §. 1. D. de inflitor. act. Ad Iudæos quod adinet, ii quidem apud nos isto munere fungi non possunt, apud Polonos autem auctore IO. MARQVARDO l. 8. 60. nullo interpellante admittuntur. In quaestione autem an prodigus proxenetæ munus in se suscipere possit, ipsorum prodigorum ratio consideranda est.

est. Ac is quidem, qui præuia causa cognitione, bonorum administratione in curatorem delata *l. 18. D. qui test. fac. poss.* sensu forensi prodigus sit, sane videbatur etiam ab hoc negotio remouendus, quod, qui propriis rebus præesse non possit, multo minus aliorum recte tractare putetur. Et cum eiusmodi homo & contrahere atque se obligare prohibeatur *l. 6. D. de V. O.* nec quidquam rei suæ alienare valeat, sequi videtur, eum nec hoc munus, quod totum in contrahendo ac negotiando consistit, gerere posse. Ista tamen nondum impediunt, quo minus & talem posse hoc obire munus adfirmemus. Non enim sensales sibi contrahunt, nec semet obligant, sed operam suam aliis saltem adcommodant *l. 2. D. de proxen.* ac totius negotii rationes ipsis contrahentibus perpendendas considerandasque permittunt. Deinde, quod magnam vim habet, non tam ipsorum arbitrium, quam aliorum voluntas & consensus habiles eos ac idoneos reddit, vnde, si quid imperite fecerint, aut minus accurate circa negotia versati fuerint, id suæ culpæ ii, qui eos adhibere non dubitarunt, tribuere debent. Sed opponat aliquis, prodigos inter peccaminosos & delinquentes censerî & propterea ab hoc munere arcendos esse! Falso. Nusquam enim prodigalitem in delictorum numerum relatam esse videmus, cum nullum aliis damnum, sed potius plurimum pecunia sumptibus faciendis dispergenda utilitatis adferant. Iam si prodigos ab hoc munere remoueamus, qui sit, vt ex deceptoribus & foro cedentibus plerumque hoc hominum genus proneniat? Quæ consuetudo antiquissima est vnde *HORATIUS Sat. II. 3. 18.* *Pest.*

*Postquam omnis res mea Ianum
Ad medium fracta est, aliena negotia curo
Excussus propriis*

Vnde & vulgo de eiusmodi Damasippis & ære dirutis dicitur: *Ein verdorbener Kaufmann ist ein guter Mæckler.* vid. MARQVARD. de iure mercaturæ I. 8. 63. Quodsi quaritur, an pupillus, pubertati proximus, huic muneri sustinendo sit idoneus, licebit hoc quoque adfirmare. Nam cum proxenetæ non nisi de dolo teneantur; vt in sequentibus ostendetur, hi autem ob dolum admissum conueniri possint. l. iii. de R. I. facile intelligitur, cum legum placitis, tum argumentorum rationibus istius officii administrationem iis concedi. In vniuersum autem ab eo qui se talem gerere velit requiritur, vt sit fidus, sincerus, apertus, inimicus fuci & mendaciorum, æquitatis amans, ac vtriusque partis commodi studiosissimus. Idem vero etiam debet esse impiger, comis, callidus, versutus, nugax, cum verborum in emendo vendendoque maxima vis sit, argumentis ad persuadendum idoneis copiosus, & temporum maximus captator. Quæ quanquam inter se dissimillima videntur, tamen locis temporibusque adcommodata plurimum valent. Debent etiam rem cambialem bene callere. Videatur omnino, qui de his accurate egit IO. MARQVARDVS de iure mercat. & commerc. I. 8. 52.




§. IV.

DE PROXENETARVM OFFICIO.

Explicatis hactenus, quibus facultatibus instructus proxeneta ad munus accedere debeat, proposito nostro pressius inhaerendum, ostendendumque est, quomodo in profes-
 renda ista facultate, & rite adhibenda, officii sui partibus satisfacere debeat. Officium igitur eorum est, vt se adhi-
 beri patiantur omnibus negotiis licitis, veluti muneribus quibusdam impetrandis, sponsalibus ac potissimum contra-
 ctibus conciliandis *l. 2. 3. π. de proxen. l. f. C. de sponsal. ac quemadmodum non debent operam suam adcommodare contractui illicito, vt vsurario, vel nuptiis incestis, de quibus vid. CUIACIVS Obf. VIII. 28. & STRYCK *Vj. mod. D. §. 4.* ita in causis matrimonialibus intercedere, & pro ministerio praestito proxenetikum accipere possunt, conf. STRYCK *l. c. negotio nondum confecto se interponere l. 2. & 3. π. de prox.* & quis velit cambio accipere, quis dare, quoue pretio, exquirere tenentur, idque partibus indicare, nominibus tamen vtrorumque silentio pressis, donec a contrahendo non esse alienos perspectum fuerit, vbi id potissimum agunt, vt dissensione animorum sublata, omnia fideliter exsequantur, quod cum fieri sine accurata rei cambialis scientia non possit, opera ipsorum in hac cognitione vel maxime collocanda est. Mutuo etiam sumendo, nominibusque faciendis succurrunt proxenetae *l. 2. π. de proxen.* ita quidem vt pecunia scaebri indagata, viam eius impetranda egen-*

egentibus monstrent, e quo magnus saepe quaestus ad eos redundat. Neque tamen fide sua interponenda, qua alioquin cauere tenentur, sed indicanda tantum pecunia scœnabri, & negotio promouendo suas partes agunt. Conf. 10. MARQVARD l. c. Lib. I. c. 8. §. 54. seqq. Iuuat hanc in rem capita ipsa Ord. Camb. Amstelod. cap. 2. §. 1. seq. adiungere: Die rechten Wechsel werden geschlossen durch Mäckler — — Die Pflicht eines Mäcklers ist, fleissig, getreu und verschwiegen zu seyn, und dass er weder den Geber noch den Empfänger wissentlich zu etwas gefährlichen berede oder berrüge — — Ein Mäckler muss in Wechsel-Schlüssen vorsichtig seyn, und beym Geber und Empfänger gewiss und sicher melden, auf welchen Orth, Messe oder Marckt tractiret wird, und falls eine Usantz oder Gewohnheit in der Wechsel-Zahlung an selbigen Orth oder Messe eingeführet ist, so wird von dem Mäckler nur bloss und allein der Werth behandelt; wenn man aber anderswohin negociiret, wohin man auf Sicht oder auf kurz und lange Zeit gewohnt ist, da muss er die precise Zahl-Zeit samt dem Werthe oder Preise ausmachen und bedingen. Wenn der Mäckler eine Wechsel Parthey geschlossen, so erkundiget er sich bey dem Geber, an wen die Briefe gestellet werden sollen? und notiret er fleissig wie hoch die Summe geschlossen? auf was vor Zeit und an wen zu bezahlen? von wem der Werth, und zu was Preiss oder Cours? diese Notitz wird dem Trassierer eingehändiget; damit selbiger die Wechsel-Briefe daraus machen, oder indistiren könne. Des Mäcklers Pflicht erfordert auch, dass er die Wechsel-Briefe von Empfänger abhole, und dem Geber zubringte. Ingleichen soll er auch ein accurates Register über die ge-



schlossenen Parteyen halten, wer Empfänger und wer Geber ist, nach welchen Ort, auf was vor Zeit, wie hoch in Cours gewechselt wird — — Ein Mäckler hat nicht Macht in Schliessung derer Wechsel-Contracte, weder in der Zeit, noch in dem Cours etwas über sich zu nehmen — — Die Pflicht eines Mäcklers erfordert, den Respekt und Credit des Empfängers so viel möglich, und sein Gewissen zulasset, zu maintainiren; nicht aber ist ihm zu rathe vor dessen Suffizienz sich verblindlich zu machen — — Es ist ein Schelmstück, falls er wissentlich vor jemand trassiret, dessen Brief er weiss, dass solcher nicht werde bezahlet werden, oder falls er vor jemand auf Wechsel giebet, welchen er weiss, dass er die Valuta nicht vergnügen werde. Ein Mäckler muss sich wohl hüten, dass er nicht mit Lügen und Betrug umgehe. Secundum renouatam Ord. Camb. Breslauenf. anni 1716. §. 40. *Veber dieses soll ein jeder Sensal obligiret seyn, Post-täglich in alle Comtoir zu gehen, auch täglich sich fleissig auf der Börse zu weisen, damit man sich ihrer, auf erfordernten Nothfall bedienen könne; überdiss auch, die ersten hinauf, und so viel möglich, die letzten von der Barse seyn. In his omnibus, nisi proxeneta candidè ac sincere officium suum peregerit, de dolo tenetur. Vid. l. 2. D. de prox. & STRYCK IV. mod. D. §. 2. h. t. Neque vero inuitis se obtrudere, negotiisque se ingerere fas est, cum ad sensalem admittendum inuitus nemo compellatur, nisi forte alia ratio legibus consuetudineque ciuitatis introducta obtineat. Quemadmodum in Hispaniæ quibusdam oppidis id fieri testatur MARQVARDVS l. c. Lib. 2. c. 16. n. 6. In Sacerdotio autem obtinendo mediatorem adhibere seuerrime*

me prohibetur. Et enim Sacerdotii sanctitas ab omni ambitu & largitionis suspicione remotissima esse debet *Nov. 6. c. 1. §. 5. & 9.* Qua de re pia profecto & seuera exstat Imperatorum Leonis & Anthemii constitutio in *l. 31. C. de episc. & cleric.* Pœna proponitur iis, qui vel dando vel accipiendo contra fecerint, grauissima, vt tanquam publici criminis & læsæ maiestatis rei, a sacerdotii gradu deiecti, omnique honore priuati, perpetuam infamiæ notam ferant. Vid. ad hunc locum ZIEGLERI comm. cui index *de Clerico renitente.* Eandem integritatem in magistratibus capessendis exegerant, excluso ambitu, quo nomine flagitiosa ista munerum redemptio adpellari consuevit. *t. t. D. ad L. Iul. de ambitu.*

§. V.

DE PROXENETICO.

Vt autem quæstus studio ducti isti homines in fide & officio continentur, *proxeneticum* proponere placuit, hoc est præmium seu remunerationem operulæ in aliquo negotio conciliando adhibitæ *l. f. D. de proxen.* Ac in vniuersum quidem, pro omni eo quod quis præmii loco in quacunque mediatione exhibet, dicitur; nomine autem magis proprio, in emtionibus venditionibus aliisque commerciis vel sponsalibus vsurpatur. Alio nomine *philantropum* dicitur, quam vocem illustrat *CVIACIVS Obseru. XI. 18.* nec di-

uersum est a *philantropio*, vt legitur *l. 2. D. de proxen.* nam accuratius est *philantropum*, quod & dubio procul restituendum, imperiteque nonnulli pro alio nomine agnouerunt. Vocatur etiam *premium*, *honorarium l. 3. D. de proxen. aspararium* Conf MEIERI *Colleg. iur. Argen.* Histemporibus vernacula lingua adpellatur *Mackler-Geld*, *Verebrung*, voce a Francis recepta *discrecion*, & in causis nuptiarum vulgo *Kuppel-Pelz*. Diuersis de causis, quas propter debetur, ipsum quoque proxeneticum differt. Igitur est vel commercio- rum, quod in conficiendis commerciis conciliatoribus tribuitur, *l. 3. D. de proxen.* vel sponsaliorum, quod matrimoniorum sequestribus penditur, de quo *l. f. C. de sponsal. & proxen.* vel reconciliationis, si quid in conciliandis hominibus pro opera vtiliter datur *l. 3. D. h. t.* vel adfessorum, seu participum praesidis vel consiliariorum iudicis. Praeterea potest esse vel certi, si certum debetur, vel incerti, si fuerit incerta promissio *pr. l. de verborum oblig.* Iam porro si sine praescripto die, nec addita conditione promittitur, *purum* vocatur, *impurum* si sub certo euentu ac conditione atque ad diem exsoluendum. In quibus illa cautio est, vt sub conditione promissum, si sit eiusmodi, vt recipiat euentus suspicionem, expectandum sit proxenetæ, donec exsiterit, & eo vsque receptio differenda *arg. l. vn. §. 7. C. de caduc. toll.* Sub die promissum habetur, siue is expressim siue tacite propositus sit *arg. §. 2. l. de verb. oblig. l. 56. §. 4. D. eod. l. 44. D. de O. & A.* Denique sub modo, qui per particulam vt intelligitur, promissum non suspenditur. Si tamen

mo-

modus non adimpleatur, resoluitur negotium veluti non fecutum, repetiturque si conditione datum est. Quod si contractus sit ipso iure nullus, siue negotium, quamuis magno labore multisque molestiis exhaustis, exitum tamen non habuerit, nec proxeneticum peti potest. Quam quidem operam sine lucro collocatam, aliis commodis ex leui saepe molestia laboreque redundare solitis, æquus animus facile compensabit. Vid. VOETIVS *ad D. h. t.* Ad ipsam autem philantropi summam quod attinet, ea certa & definita non est, sed paciscentium arbitrio plerumque permittitur, nisi quod in quibusdam emporiis id certa forma & lege constitutum, iis, qui publica auctoritate proxeneticam faciunt, præbetur, vt obseruat STRACHA *de Proxen. P. 2. n. 9. & 4. n. 3.* In pramiis autem pro sponsalibus promissis, ipse pararius non ultra viciesimam dotis, vel donationis propter nuptias partem sibi stipulandi potestatem habet, sin contra fecerit, etsi minus accipere possit, res non procedit *l. f. C. de sponsal. & proxen.* Quod si neque lege neque conuentione fuerit æstimatum, tota res ad iudicis æquitatem refertur, pro modo negotii & proxenetarum honestate decernenda. Sin magistratus ciuitatis mercedis certam rationem proposuerit, ea proxenetæ contenti esse debent, nec nimis adpetendo lucrum, plus exigere, nec intempestiue gratificando remittere, quæ res multarum fraudum vel suspicionem velleo cum præbere possit. Vnde etiam prohibentur cuiusquam commodo gratis & sine mercede inservire. Vide *Ord. Camb. Amst. cap. 2. §. 4. Ein Mackler muß sich begnügen mit dem-*


demiengen Lohn oder Courtage, so von Magistrat geordnet, und darf er weder mehr noch weniger nehmen, oder iemand ganz franco und ohne Courtage dienen. Ex quo adparet, mercedem etiam si ab initio promissa non fuerit, tamen confecto rite negotio, iure peti posse l. 1. D. h. t. Conf. STRYCK Vj. mod. D. h. t.

§. VI.

DE PROXENETARVM IVRIBVS.

Enim vero proxeneta vitur primum iure petendi proxeneticum l. 1. D. h. t. idque si certum est promissum, exigitatione, ex ista conuentione proueniente, hoc est actione in factum pratoria. Formula istius actionis hac est: P. P. Klager bringet klagend an, daß da an der Michaelis-Messe 1764. Beklagter allerhand Waaren hieher gebracht, er sich zum Unterhändler gebrauchen lassen, also daß durch seine viele gehabte Mühe und Recommendation, solche an einen Kauffer gebracht worden, da nun Klager verhoffet Beklagter würde die deshalben versprochenen 30 Thaler ihm bezahlet haben, er sich aber doch in Güthe darzu nicht verstehen wollen: Als ist Klager zu klagen bewogen worden, fordert von Beklagten Antwort auf die Klage subpana confessi & conuicti, und wenn solche erfolget, bittet er zuerkennen, daß Beklagter die libellirten 30 Thaler nebst Unkosten Klager zu bezahlen schuldig. Desuper &c. Si autem incertum fuerit, extra ordinem persequi potest, quod eam vim habet, vt ei, qui

qui operam conciliando negotio licito adhibuerit, præmioque sit defraudatus, opem iudicis, cuius æquitate & arbitrio aptum proxenicum sibi præstandum constituatur, implorare liceat. Fruuntur etiam immunitate a testimonio in ea causa, ad quam adiuuandam accesserint; inuitus enim cogi nequit, nisi utriusque partis voluntates consentiant. *Nov. 90. c. 8. conf. TITII ius priuatum §. 11. h. r. & LEYSER ad D. Spec. 681. med. 9. 10.* Perhibito autem ab ipsis testimonio fides plena est adhibenda, eiusque auctoritas ex iuramento, magistratui & mercatoribus singulatim præstito, diiudicanda, quod iusiurandum bonæ fidei opinionem adfert. Errant igitur, qui fidem ei homini in ea causa, cui ipse interceserit, denegandam esse statuunt, per *Nov. 90. c. 8.* & male huc transferunt, quod in testibus fieri consuevit, quibus sane propter studium causæ sua opera transactæ, & utilitatis suæ curam parum creditur *l. pen. D. de test.* At hic aliud obrinet. Nam iuramento, magistratibus præstito, suæ fidei publicum testimonium dedisse existimantur, agnoscunturque tales, quorum non solum voci & orationi, verum etiam litteris atque libris, in quibus negotiorum sua intercessione confectorum modum atque rationem præscribere iubentur, vt §. 4. ostendimus, tanta auctoritas insit, vt quæ in iis consignata reperiantur firmissimam probandi vim habere poterunt. Quod demonstrat Responsum Scabinorum Lipsiensium a. 1703. teste BARTHIO *Hodeg. Forens. c. 2. p. 467.*



§. VII.

DE OBLIGATIONE PROXENETAE.

Obligatio proxenetarum in his potissimum cernitur. Primum, ut præsent dolum malum culpamque latam illam quidem, non leuem *l. 2. de Proxen. CARPZOV. ad Decif. 130. n. 20.* Ut autem hoc valet in omnibus rebus, quæ beneficio & interuentione eorum conficiuntur, in nuptiis, vel amicitii conciliandis, vel adiungendis iudici consiliariis; ita in nominibus contrahendis eo pertinet, ut si alicui mercatorum quendam, tanquam fidum & idoneum, commendent, cuius rem familiarem, an satis bene sit constituta, non accurate nouerint, & ille paullo post bonis lapsus soluendo non fit, de indemnitate ei obligentur IO. MARQVARD *de iur. merc. L. I. c. 8. §. 72. add. decif. Elect. Sax. Nou. 66.* ibique PHILIPPI. Quid autem si pluribus proxenetis, qui in vno eodemque negotio elaborarunt, dolus communis fit? Nimirum aduersus singulos in solidum agi potest, ubi tamen alterius satisfactio, accusatori præstita, reliquos conuenire prohibet. *l. 3. pr. D. si mens. fals. mod. dix.* tendit enim hocce ad vtilitatem priuatam, quæ nec solet nec debet multiplicari. Similiter ex negotiis illicitis si forte adiutores fuerint, pararii obligantur. *Nou. 134. c. 10.* Nam culparum improbitatisque auctores habentur, inque pœnas propositas incurrunt *l. 7. D. ad leg. Pompeiam de parric. l. vn. vers. pœnas C. de rapt. virg. l. 50. §. 1. & seqq. D. de furt.* Neque in tali caussa, vnius satisfactio ceteros inuitos dimittit, sed, quan-

quanquam inuicem non obligentur, vt patet ex §. 7. *I. mand.* tamen cum vnusquisque puniri, & integram pœnam soluere debeat, omnes æqualiter pœnas legibus statutas luunt. Præterea obligantur ad officium suum accurate exsequendum, si secus, aut negligentia aut malo animo, fecerint, is qui sibi hominem adiunxerit, ius suum contra eum, a quo fit deslitutus, persequitur, agendo quidem vel ad implendum negotium, vel ad restituendum id, quod dederit. In quo locus est actioni ex mandato, qua in personam agitur, aut bonæ fidei, cui semper actio de dolo inest, vel rei persecutoria, quæ mandatori aduersus proxenetam datur eo, vt adimpleat negotium, aut id, quod interest, præstet, *l. 5. §. 1. l. 6. §. 1. l. 8. §. 6. l. 27. §. 2. D. l. 16. C. mand.* & vt restituat, quidquid negotii causa acceperit.

P. P. Klaget bringet klagend an, welchergestalt er Beklagten, einen hiesigen Mæckler aufzutragen, gegen ein Quart pro Cent ihm einen Wechsel Brief von 3000 Thalern nach Amsterdam zuverschaffen. Ob nun gleich Beklagter solches auszurichten über sich genommen, so hat er doch sein Versprechen nie erfüllet, weilen nun aber Klagern hieran merklich gelegen, als ist er wider denselben zu klagen genöthiget worden, fordert hierauf von Beklagten Antwort, und nach deren Erfolg zuerkennen: daß Beklagter den libellirten Wechsel nach Amsterdam zuverschaffen, auch alle diesfals verursachte Schaden und Unkosten zu erstatten schuldig. De super &c. Quodsi specialibus quibusdam legibus proxenetæ officium sit adstrictum, iisdem eum teneri, nulla dubitatio est. Ita in ciuitate Lipsensi d. ord. Camb. §. 15. qui cambii, siue nominum faciendorum conciliator fuit, contrahentibus



conventionis consignationem, (*eine Notiz*) exhibere iubetur. Verba ipsa hæc sunt: *500. R. per Amsterdam Cassa a Vfo von Herrn Merio an Herrn Casarem a 125. pro Cent. Leipzig den 28. Nov. 1765.*

Reinhold Rappold.

conf. notæ ad *Const. Camb. Lips. d. a. 1717. ad h. l.* Hanc notitiam etiam requirit *Ord. Camb. Brand. d. a. 1709. art. 38.* nec non *Ord. Camb. Brunsvicens. d. a. 1715. art. 48.* idem decrevit *Ord. Camb. Hamb. d. a. 1711. art. 1.*

§. VIII.

SINGVLARES QVAEDAM QVAESTIONES DE
PROXENETIS.

Duæ potissimum in hac causa quæstiones, doctorum exercitata ingeniiis, occurrunt, in quibus disceptandis & nobis pro instituti ratione versandum arbitramur. Cum igitur quaritur, an proxeneta testis esse possit, illa potissimum consideranda sunt, vel causa in qua testimonium dicendum est, vel testimonium ipsum. Ad causam quod adtinet, videndum est, vtrum proxeneta adiunctus fuerit negotio licito an illicito. In quo auctore MÜLLER O ad STR VVII *Exerc. 28. th. 39. l. 8.* & ipsorum hominum discrimen respicere iuvat, vtrum sint iurati & adprobati a magistratu, verbo, publici, an vero sua sponte ad hoc negotium suscipiendum accesserint, & priuatorum locum obtineant. Si illud est, graue omnino haberi

haberi debet firmumque eorum testimonium, nec contra eius valorem dissensus partium, de quo statim dicemus, quidquam efficit. IVST. MEIER ad tit. *D. de proxen. th. 17.* Altero loco distinguunt, vtriusque litigantium partis consensu ad testimonium dicendum vocati sint, an alterutra tantum id postulet. Quod si vtraque pars consentiat, quantum inuitis proxeneta ad testimonium dicendum cogi non possit, adde STRYCK. *Vj. Mod. D. de test. §. 6.* tum tamen ei vel repugnanti testimonii perhibendi officium poterit iniungi per *Nou. 90. cap. 8.* vid. STRYCK. *Vj. Mod. D. h. t. n. 3.* BERGER. in *Oeconomia iuris p. 853.* ed. BACHII. EIVSD. *Elect. Discept. Forens. p. m. 712.* MARQUARDVS de *iure Mercatura I. 8. 68.* MENCKENIVS in *process. comm. Tit. 22. §. 3.* Sin, vt sunt studia hominum saepe contraria, partes dissentiant, iterum animaduertendum, vtrum ab vtraque parte reiiciatur proxeneta, an ab altera. Quod si euenerit, vt neuter eum postulet, plane non admittitur, etiamsi velit. *Nou. 90. c. 8.* Si vero ab vna saltem productus fuerit, dissentiente altera parte, ob suspicionem secretæ cuiusdam collusionis, spemque lucri, a testimonio repellitur, licet iste vel sine salario operam conciliatricem adcommoauerit. Excipitur tamen primum, vt si ab initio aduersario non repugnante testimonium dixerit, iure idem ab altera parte producat. Deinde si matrimonii confirmandi causa vocentur, qua nulla propensionis est habenda ratio, cum nec parentum testimonium isto tempore repudietur *cap. XXII. X. de test.* Denique in rebus ad perficiendum explicandumque

negotium non pertinentibus, in quibus cessante commo-
 do, sublestæ fidei suspicio cessat. Illicita vero negotia proxe-
 netarum, præsertim si philanthropum expectent, auctorita-
 tem in testimonio tollunt, *arg. l. 10. D. & C. de test.* habentur enim pro sociis criminum *l. n. C. de test.* & oratione ma-
 gis ad utilitatis commodique sui vanitatem formata, quam
 ad veritatis legem exacta uti videntur. Recte tamen produ-
 cuntur, in crimine Simonia vel ambitus, cum nimirum non
 criminalis sed civilis actio instituatur, nec ullius commo-
 di expectatione ducantur. Nec minori auctoritate in contra-
 ctibus usurariis, ob fœneratorum odium, tandemque in
 hæreseos crimine. Pergimus ad alteram quæstionem, an
 proxeneta mercaturam exercere possit, ad quam cum
 STRACHA aliisque ita respondendum est. Quamvis illis,
 quo minus mercaturam faciant, disertis Legum verbis non
 videtur esse interdictum, & proxeneta duarum quodamo-
 modo personarum vices sustinent, æque ut Factores, in
 contractibus tamen, in quibus perficiendis operam suam in-
 terponunt, ad evitandam fraudis suspicionem mercatoris
 personam exuere ac deponere debent. Quapropter empo-
 riorum quorundam instituta egregie probantur, quæ pro-
 pter hanc causam sub certis pœnis ab officio mercaturæ
 proxenetam remouent. Vid. MARQUARD *de iur. merc.*
L. I. c. 8. n. 73. Quod sanciunt statuta Anconiensia & Lug-
 dunensia cæterarumque Italia & Germania ciuitatum mer-
 catura nobilium. Sic *Ord. Camb. LVDOVICI XIV. d. a.*
1673. tit. 2. wir verbiethen denen Agenten der Banco und Wech-
sels

sels bey Vermeydung ihres Amtes und 1500 fl. an Geld, vor ihr Conto unter ihren oder andern Nahmen, weder directe noch indirecte, einigen Handel zu treiben oder Banco zu halten add. ex ead. ord. Tit. I. art. 2. Die Mackler und Unterhändler der Waaren sollen auch vor ihr Conto keinen Handel treiben, Cassa bey ihnen handeln oder ihr aual unter Wechsel-Briefe setzen &c. Die Mackler und Unterhändler dürfen nicht selbst handeln, noch bey einem Handel mehr biethen. sec. statuta Ancon. & Lugdun. Traité des changes cap. II.

§. IX.

QVA RATIONE PROXENETAE MUNUS
TOLLATVR.

Nunc age causas, propter quas proxenetæ munus dissoluatur, commemoremus. Irritum autem redditur, si quis in negotiis illicitis operam præstiterit, in quo grauitè delinqui manifestum est, flagitiumque committi, quod eum munere depellat. Iam porro sicut mutuo partium consensu constituitur, ita per mutuum dissensum dissoluitur. *l. 58. de pact. l. 80. D. de solut.* Naturæ enim conuenientissimum est, eodem genere vnumquodque dissoluere, quo fuerit colligatum, ex auctoritate ICi in *l. 35. l. 253. D. de R. iur.* Tum vero finitur munus sensalis ipsius renuntiatione *l. 22. §. vlt. mandat. modo fiat tempestiue, hoc est re adhuc integra §. 9. & 11. I. mandat.* Nam cum primum partium interesse cœpit, sensali integrum non erit negotium deserere. Deinde morte

morte, vel sensalis, vel partium. Siquidem quodcumque voluntate, id etiam morte plerumque reuocatur, quod per mortem voluntas expiret *l. q. locat.* Quoad partes ita distinguendum esse docti docent, vt spectetur, vtrum amborum contrahentium voluntate, an alterius tantum electus sit. Si vtrorumque consensu rebus tractandis accesserit, officium finitur, quo tempore alter eorum moriatur, si alterius partis tantum, cessat, si cuius arbitrio electus est, is diem supremum obierit, nisi negotii ratio aliud postulet. Denique negotio finito & perfecto nonnunquam etiam adfecto & instituto, cum propter negligentiam, tum alia idonea de causa, proxeneta ab officio remouetur.

§. X.

DE SENSALIBVS LIPSIENSIBVS.

Rem proxeneticam Lipsiensem quod adinet, semel singulis hebdomatibus in loco, quo mercatores congregantur (*Börse*) proxenetarum conuentus fiunt, ad pecunia valorem (*Cours*) qui in primis ad istorum hominum cognitionem pertinet, ad extera emporia, in cambiis aliisque negotiis contrahendis, constituendum. Eodem cum Camera, tum Accisa Generalis, tum etiam senatorii proxenetae conueniunt, valoremque monetae cum per, tum extra nundinas, ex praescripto §phi 31. *Ord. Camb. Lips.* adhibitis sex domesticis, & sex peregrinis mercatoribus constituunt. Inter quos domesticos debent esse duo viri senatorii mercaturam

turam facientes. Conf. nota ad Ord. Camb. Lips. cit. §. In quo observandum est, sensalem Accisa Generalis vi Referiptorum d. d. Dresdæ 3. Octobr. 1718. n. 183. nec non 5. Martii 1720. Lipsiæ n. 33. sine spe salarii, pro recognitione pecuniaque exercendi muneris causa annuatim pendenda, quoties in negotiis Accisa Generalis operam præstat, semper sine vlla mercede libenter munere suo fungi, & conceptis verbis hanc in formulam iurare debere: *Ihr solltet geloben und schwören, daß E. c. das euch aufgetragene Meckler-Amt in General Accis Sachen, darinnen von Ihro E. c. und Dero General-Accis Collegio in und ausser Messzeiten in Wechsel- und andern Geld-Handlungen oder sonst als Vnterhändler ihr gebrauchet werdet treu und fleißig, jedoch ohne Engeld vorstehen, und allemal das Cburfürstliche Interesse besten Fleißes beobachten, alles treulich, und ohne Gefehrde. E. c.* Nec abs re esse videtur etiam iusiurandum, quo coram fenatu Lipsi. proxeneta tenentur, addere: *Demnach von E. E. Hochw. Rath allhier zu Leipzig, ich bey dieser Handelsstadt zu einen Meckler oder Vnterkauffer mich bestellen lassen, als schwäre und gelobe ich zu Gott, daß ich solchem Amte und Dienste treulich, und fleißig vorstehen, in und ausserhalb der Märckte mit denen Kauffern und Verkauffern, sie seyn gleich einheimisch oder fremde, recht und ohne Betrug umgehen, keinen feine Waaren, welche mir wandelbar zu seyn bedänken werden, für gut schätzen, noch dieienige, so ich vor aufrichtig Kaufmannsguth erkennen und halten werde, verwerfen, sondern mit Schätzen und Zahlen gleich und recht umgehen, auch vor mich an denienigen, was ich anderer Leute wegen kauffen und verkauffen möchte, kein Antheil noch Gewinn haben, sondern mich an meinen Meckler Gebühren begnügen lassen will. Da ich aber einige Waaren bedürftig und solche entweder selbst, oder durch die Meinen erkauffen und verkauffen würde, will ich mich in Kauffen und Verkauffen also verhalten, damit derienige, mit*

D

dem



dem ich dißfalls zu thun, Wissenschaft haben solle, daß solches mich in proprio angehe, auch einen andern einigen Kaufmann vorziehen, loben oder verkleinern, daß derselbe wohl oder Übel stehe, da mir ein anders bewußt ist, auch keinen Kaufmann und denen Seinigen die Waaren theurer oder habter anrechnen oder zuschlagen, als dieselbe gekauffet worden, darneben verpflichte ich mich iedweder Partibz aufrichtig zu denkauffen und verkauffen zu verhelfen und zu ratben, solches nicht zu verhelfen auch Stich in Waaren, und Waaren in Geld ungefeumet zu beserdern, sowohl alles, was mir in dergleichen Wechsel-Sachen vertrauet wird, insonderheit, da iemand viel Gelder zu verwechseln, oder als depositum suchet, ingeheim und verschwiegen zu halten, und darvon nichts zu offenbahren, niemand zu Liebe den Wechsel oder Lagio in Umsatz aufzutreiben, ingleichen keinen zu einen Wechsel oder etwas a deposito zugeben zu überreden, auch einen Handelsmann alleine nicht anhangen, noch denselben schlechterdinges die besten Briefe zu wechseln oder a deposito alleine präsentiren, da ich auch erfahren würde, daß sich iemand unterstünde Macklerey oder Unterkauf zu treiben, so darzu nicht bestellet, noch vereydet, denselben will ich der Obrigkeit alsobald anmelden, und sonst allenthalben mich gebührend bezugen sonder arge List und Gefährde, so wahr mir Gott helfe und sein heiliges Wort.

§. XI.

DE PROXENETIS METALLICIS.

In commercii partium metallicarum procurandis, hominum quorundam, qui proxenetæ metallici adpellantur opera versari solet. Quibusdam in locis, iuramento adstringuntur, sicut ex *Ordinat. Metall.* Serenissimi Electoris Saxoniz *Art. 20.* nec non Comitibus Hohnstein. patet vbi iuramentum proxenetarum metallicorum *der Kreuztzer Eyd* com-

commemoratur his verbis conceptum: *Iedermann rechten wahrhaften Bericht thun, was iedes Orts der gemeine Kauf ist, keinen Vortheil noch Betrug suchen noch gebrauchen. Idem patet ex Ord. Metall. Vallis S. Ioachim p. 2. art. 92. sed in Ord. Metall. Ducis Brunsvicens. P. 2. art. 102. dolus tantum proxenatarum, vt apud reliquos proxenetas compefcitur, iurisiurandi in cuius formulam iurare debeant, mentione inter iuramenta reliquorum metallicorum pratermissa. Inter praestandas autem eorum operas singulares quidam ritus commemorantur v. c. das Setzen, de quo iuuat audire GOTTFR. IVNGHANSS. in sylloge terminorum & phrasium metallicarum: Setzen nennen die Kucks-Kreutzler, wenn sie 1. 2. 3. 4. oder mehr Thaler (gemeiniglich so viel die Zeche Ausbeute giebt) auf den Tisch legen, und vernehmen ob iemand auf dieser oder ienen Zeche Kuckse kauffen oder verkauffen will, und hat der Setzer Macht solch Geld zu nehmen und den Kucks zu schaffen. Conf. LEISERI Ius Georgicum Lib. III. c. 24. §. 98. Cum autem sint ad decipiendum procliuēs, & in metallicis negotiis fraudibus saepe vtantur, factum est, vt in rubrica art. 74. Ord. Metal. Elect. die Kreutzler und Kuckes-Parthierer coniungantur. Lepidis sane versibus Vulpes apud auctorem libri, qui inscribitur DER FROSC MEVSLER istorum hominum mores exagitat:*

*Die Ausbeut aber wolt nicht kommen,
Die auch mein Weib wenn sie vernommen,
Daß die Kuckskreutzler sich einstellten,
Sie vor Land-Rauber pflag zu schelten*

D 2

Die

Die zuzagen Ausbeuth zu bringen
 Vnd nur ausbeuteln bedingen
 Daß man nach Ausbeut auf Vorrath,
 Alles ausbeuteln was man hat.

Quæ vero mala ab iis rei metallicæ inferantur, satis aperte describuntur d. a. 74. his verbis: *dadurch also die Leuthe betrogen, von den Bergwerk abgeschueet, und unsern Bergwerken grosser Nachtheil eingeführet wird &c.* Ad quæ evitanda legibus metallicis cautum est, ne alius, nisi cui officium proxenetae metallici publice concessum sit, hinc negotiis sese immisceat: *daß aufferhalb der verordneten Kuckskreutzler sich niemand des kreutzlens und Kucksverkauffens unterstehen soll.* Quod tamen non eo pertinet, quasi ipsi domino partium metallicarum potestas partes suas etiam sine interuentu proxenetae aliis vendendi detracta sit, quod satis cum verba docent, tum res ipsa & experientia loquitur. Quod si quis neglecta hac ratione nihilo minus proxenetae partes inuaserit, is in pœnas ab *ord. metall.* ad coercendam istam audaciam constitutas incurrit. Quarum varietas, cum cæteris quæ ad hos proxenetas pertinent commemoratur apud LEISERVM *Lib. III. c. 24. §. 112.*

§. XII.

DE PROXENETA NVPTIARVM.

Nuptiarum proxenetae priuati sunt. Priuati autem omnes, vt supra obseruauimus, voluntate partium earumque consensu ad auctoritatem suam vtuntur, ad quam constituen-

stituendam interdum etiam alterius tantum voluntas sufficit,
 & pro discrimine negotiorum operam suam vel vtriusque par-
 tis consensu, vel vnus tantum auctoritate interponunt, sine
 iis ritibus, qui in publicorum sensalium ordinatione solemnes
 sunt. Priuati autem proxenetæ munus cuius subire potest,
 nec femina arcentur, quæ *proxenetria* vel *promnestria* di-
 cuntur, quarum in conciliandis potissimum nuptiis iam
 olim operam nauatam esse vel XENOPHONTIS locus
Mem. Socr. Lib. II. c. 6. §. 36. docet & *Iunonem pronubam*
 apud veteres cultam fuisse, non est quod antiquitatum
 peritos doceamus. Neque etiam minores excluduntur,
 vt argumentari licet ex *l. 23. de minor. l. 1. §. 1. si mens.*
fals. mod. dix. Cum autem omnes proxenetæ ex dolo &
 culpa lata ad damnum sarcendum obligentur, etiam nu-
 ptiales, quin eodem iure teneantur dubitari non potest.
 Dolus autem ille in falsa laudatione versatur, in qua ta-
 men magis mala corporis, quam ingenii, aut fortunæ spe-
 ctantur. Vnde si conciliator feminam morbosam aut
 corruptam, pro sana & integra obruserit, ex facto suo
 tenebitur: verum si cuius formam, probitatem, nobilita-
 tem aut diuitias falso collaudauerit illum non teneri sta-
 tuunt, argumento e *l. 19. pr. de adil. edict. petito.* Præte-
 rea existimatur, ne priori quidem loco matrimonium ir-
 ritum esse, nisi læsæ partis consensus accesserit. Vid.
 PEREZ *ad Cod. de sponsal. no. 21.* & BODINI *Diff. de Phi-*
lanthropo c. 5. §. 4. 5. Quod si in his obligatio spectatur,
 multo magis ea negotia vtrasque partes obligant, quæ
 proxe-

proxeneta bona fide gessit, modo confecta fuerint. Hinc
 etiam parentes consensum sponsalium proxeneta datum
 retractare non possunt. Patet enim ex iis quæ supra
 disputauimus, nuptiarum conciliatorem promissam sibi
 mercedem recte exigere, ac puella curatorem proxeneti-
 cum nuptiarum causa sibi a proco recte stipulari, dum-
 modo id modum non excedat. Alias iudex *arg. l. 12. de
 donat. & l. 19. §. 1. de re iudic. inprimis l. 3. de proxen.* po-
 testatem habet a proxenetico promisso secundum æquita-
 tem detrahendi,

FINIS.

ERFUERT, Diss., 1767/67

SS.


ULB Halle
004 995 333


3



VD 18







23

1766 4

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
DE
P R O X E N E T I S

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
IN PERANTIQA HIERANA
P R A E S I D E
**DN. HIERONYMO FRIDERICO
SCHORCH, ICTO**

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCI-
PIS ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIO REGIMINIS, MEMORATAE
FACVLTATIS ADSESSORE, ET DECRETALIVM PROFESSORE P. ORD.
CIVITATIS ERFORDIENSIS CONSVLE PRIMARIO, NEC
NON ACADEMIAE ELECTORALIS MOGVN-
TINAE SCIENTIARVM VTILIVM
PRAESIDE,

H. L. Q. C.

DIE XXVIII IAN. A. R. S. MDCCLXVI.
PRO GRADV DOCTORIS
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET
AVCTOR
HENRICVS GVILIELMVS EXS
ACCISAE GENERALIS INSPECTOR ET
IVRIS PRACTICVS LIPS.

LITERIS HENR. RVD, NONNII, ACAD. TYP.